EPISTOLA GRATULATORIA
NATALIS
SEPTVAGESIMI SEPTIMI
AD
VIRUM
MAGNIFICUM, SUMME VENERABILEM
ATQUE EXCELLENTISSIMUM
DOMINUM
HERMANNUM
von der Hardt
PRAEPOSITUM MARIAEBERGENSEM
ACADEMIAEQUE JULIAE
SENIOREM MERITISSIMUM
QUA SIMUL
DE ASYLIS IGNORANTIAE
IN VARIIS DISCIPLINIS
AGIT

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. A. BALLENSTEDT.

ANNO M DCC XXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Magnifice, ſumme Venerabilis,
Excellentiſſime, atque Celeberrime VIR,
Domine, atque Patrone omni
a me Cultu proſequende.

IN laeta atque clariſſima luce, quam dies Tuus natalis omnibus, qui Te amant, mirantur & colunt, hodiernus adfert, equidem obſcura verſari in nocte occulteque latere in tenebris noctuarum in modum, nec debui, nec volui. Debeo enim vel tantum amori in me Tuo, quo nullo erga Te ſingulari nec officio nec ſtudio cognitum Tibi huc usque liberaliter proſequutus es; vel etiam meritis in rempublicam Tuis, omni laude maioribus, vt & palam facere, quanto in aere Tuo ſim, quibusque beneficii vinculis obſtrictus tenear, & honorem Tibi pro meritis

Digitized by Google

Tuis gratiasque maximas habere, mearum omnino partium eſſe duxerim. Biennium eſt, quum in Tuorum me adſcribere numerum, numeroque iſto ac loco dignum iudicaſti; quo quidem temporis ſpatio tot amoris Tui fructus metere mihi licuit, vt vix inueniam, quo tantos beneficiorum aceruos reponam. Singulis per annum hebdomadis litterarum Tuarum, raro inanium, ſed libris abs Te conſcriptis, donisque mihi gratisſimis refertarum, honore me dignatus es. Quid? quod nuper publice me ſalutans epiſtola omnes beneuolentiae erga me Tuae teſtes ſpectatoresque conſtituiſti? ſi quod mihi dubium in re ardua natum fuit, ad Te recurri, Tu non ſecuiſti, ſed ſoluiſti. Si Tibi ſitim rei litterariae meam expoſui, Tu depuliſti, ſatiaſti. Tu eripuiſti aut minuiſti ſaltem, ſi quem dolorem ab hominum malitia cepi. Nunquam vno verbo mihi nec conſilio nec opera defuiſti.

O quas nunc dicere grates,
Quasue referre parem.

Sed vereor, ne, ſi Tuas iam celebrare laudes mihi ſumam gratumque meum erga Te animum declarare velim, aut Tua patientia abutar, aut etiam ingenii culpa laudes Tuas deteram. Cum itaque vel Tibi vel mihi ſatisfaciendi ſpes omnis praeciſa ſit, ne beneuolentiae Tuae beneficiorumque plane immemor videar, indicaſſe ſaltem, quantum Tibi ipſe, quantum Tibi omnes debeamus, mihi liceat. Accedat huic meo in Te officio votum pro incolumitate Tua perpetua, vt Deus T. O. M. Diem hunc natalem non laetisſimum ſolum reddat, ſed

gra-

gratiae ſuae largisſimae bonis reliquam vitam, quam Tibi longisſimam apprecor, cumulare benignisſime velit. Subſiſterem hic, finemque iam ſalutandi Te atque etiam ſcribendi facerem, niſi litterarum noſtrarum inſtituta ratio de argumento quodam vtili pertractando me moneret.

Age itaque, non incommodum erit, de *falſis fictisq; in inquirenda veritate rationibus*, quas vno nomine *aſyla* adpello *ignorantiae*, quod Tibi, V. S. V. non diſplliciturum confido, pro lubitu noſtro pauca, quae epiſtola capit, differere. Argumentum cum Tibi, qui tot errorum nebulas per quinquaginta, quibus ſcriptis inclaruiſti, vitae annos, depuliſti, tantam fabularum anilium ſegetem ex hominum animis exſtirpaſti, funditus que ſuſtuliſti, tot regnantium praeiudiciorum inueteratos morbos de throno deieciſti, non adverſum, aut dignitate Tua alienum, tum mihi quoque congruum, quippe qui non mihi ſed ſcholae viuo, iuuenesque omnium ordinum ad omne vitae genus erudiendos mihi traditos ſcio. Qui, ne quod ex primis annis vitium adhaereat adultis, in tempore, quid faciendum ſit, quid fugiendum, admonendi videntur. Neminem, niſi qui doctorum de popularibus erroribus querelas numquam perpendit, ignorare exiſtimo, nullam eſſe artem, nullam diſciplinam, nullum vitae genus, quod non denſisſimis, in clarisſima licet ſapientiae luce, ſcateat errorum tenebris. Regnant aſyla ubique. Regnant involucra, quibus ignorantiam aeque ac ignauiam ſuam tegunt homines, in Philologorum, Philoſophorum, Theologorum, Jureconſultorum, Medi-

 corumque

corumque ſcholis. Et quod D. J. Fridem. Schneiderus *de credulitate* adfirmavit, *quod naſcatur in familiis, nutriatur in ſcholis, exerceatur in foris atque curiis, conſervetur in templis, foueatur in aulis, in tumulis excitetur*, idem de aſylis ignorantiae valet iudicium. Cuius quidem rei quum cauſſas quaerimus, cur lucis timidi effugia & latibula rimentur, varias reperimus. Latent vel in hominum ignauia & ſuſcipiendi laboris metu vel in polyhiſtoris nomine & ambitu. Curioſitate ingenita, eſſentiae primarumque cauſſarum ipſaque omnibus innata ignorantia, ſenſuum fallacia iudicandique praecipitantia naſcuntur. Rationis imbecillis limitibus circumſcriptis, educationis neglectu, ſectae religionisque perſuaſione, fide coeca, commodorum ratione, communi doctorum voluntate praeiudiciisque aluntur ac propagantur. Sed de ſingulis ſingulatim. Primipilum ducat Philologorum cohors. Hic propugnaculum ignorantiae munitiſſimum, turrem Babylonicam in grammaticorum bello, quo de linguarum primogeniturae vindicando iure, deque linguarum diverſitate digladiantur, exſtructum videre licet. Cui linguae matris titulus honorque debeatur, inter ſe contendunt. Quamuis Tute, V. S. V. hanc diſceptationem futilem atque ineptam in *Hiſtoria regni Babylonici* iudicaris, cum *dialecti ſunt*, inquis, *Lingua Hebraea, Arabica, Graeca, &c. adfines ſunt, ſint, ſorores ſint, ſui ordinis matres, vna, plures; modo vſui ſint, perinde;* attamen iſtam linguam matrem, hanc filiam faciunt. Si quis rationem quaerit, ad turrem Babylonicam abeat, quo *prae deſperatione confugiunt.*

In

In hac Primaeuam Hebraeam conſeruatam regnaſſe, in hac communis oris gentium confuſionem accidiſſe, vt ad ſeptuaginta & plures numerus linguarum ex vna excreverit, *quaſi in turri grammaticam vel didicisſent, vel docuisſent, quaſi tum temporis iam fuisſet exſtructa Babylon, non vero aliquot poſt ſeculis condita, aut in momento velut per ſomnum diſcere non vnam ſed centenas linguas a ſe inuicem disſonas feminis et puellis domi ſedentibus, ſuumque ſeruantibus idioma, tam facile cogitatu quam dictu esſet.* Linguarum ſtudium maximam, ringente licet momo, eruditionis partem abſoluit. Omne mihi tuliſſe punctum videtur, qui has bene callet. Cum terminis & vocibus res ipſae inſtillantur. Fruſtra iudices, cogitesq; in diuinis & humanis, niſi vocabulorum rationes cognitas habeas. Rapidis notis verba committes irrita, aut cum vmbra pugnabis, niſi cogitationum ſigna nota tibi ſint. Sed quantas per Deum! diſceptationes, opinionumque de veris vocum originibus deprehendimus varietates. Quot interpretes, tot ſenſus. Euolue ſis lexica, legas obſeruationes, animaduerſiones glosſasque criticorum & verum cognoſces. Colorem Etymologici circumfundunt, fictas Interpretes ſubornant causſas, labores Grammatici ſuſcipiunt, admorſos ſapientes ungues, ne dicere cogantur: Neſcimus. In Auguſtanae Confesſionis feſto ſeculari quidam communi pellectus gaudio nouam vocis יובל originem, quod in bonum reip. chriſtianae vergat! ſibi inueniſſe viſus eſt, Ab הוביל attulit, verbi יבל Venit, deducens, quia feſtum libertatem adferebat ſervis & bona reſtituebat, non contentus, quod alii iam inſaniuerint,

rint, quorum pars a יבל venire deriuat, quia ſerui manumiſſi in priſtinam bonorum poſſeſſionem veniebant. Pars autem a voce יובל, arietem & buccinam ſignificante: Alii a primo inſtrumentorum muſicorum inuentore, Jubal, quod ſignum diei feſti tuba dabatur, arcesſunt. Sed derivationem a יבל ſi dicam claudicare, veniam impetrem. Melius hoc modo Latinum Ventum a Venio ducam, quia non it ventus ſed venit ad Etymologicos, animum illorum inflans. Nec melioris notae ab חוביל deriuatio. Ita enim ſi eruere vocum origines licet, quidvis ortum ab alio, modo litterae conveniant, probabis. Certe non adeo nos quoque obtuſa gerimus pectora, vt non eodem in genere felicibus eſſe liceat. Age יובל dictum ſit ab חוביל attulit, quia omnibus tunc hominibus gaudium adferebat, in primis ſeruis. Sed ſi inuertamus, quia luctum dominis adferebat, mancipiorum amiſſio. O laetum aſylum, quod homines non plane in primis Criticaſtros mutos eſſe ſinis, ſed reddis loquaces, doctos ſapientes! ſunt qui vocem ארץ terra, a רוץ currendo deriuant, quod terra minime currat. Sed iſti currant: Ab Ebraeis ad Graecos euadamus. Noua ad ridendum apta ſcena. Prodeat vox πολεμος, quam ex primitivis πολλυς χεων, quod ſternat multos vel ex πολλȣς αμων, quod multos metat, vel ex πολιων λοιμος, quod peſtis vrbium ſit, ortam perhibent. Ignorantiae effugium facile in ficta ex cerebello genealogiſtarum compoſitione invenias. Quod, quaeſo, periculum imminet, ſi primitiui & ſimplicis loco habeatur? Latini non minus delirant. Bellum ab adjectiuo Bellus, deriuantes quaſi bellum

bellum ſit minime bellum, in *ironiam*, ignorantiae hic arcem confugientes; cum tamen nemo non videat, Latinum Bellum cum Graeco πολεμος conuenire. (*) Sic κρινον, Lilium Alſtedius deriuatum τοῦ קרן ſplendet, Paſor τοῦ κρίνω diſcerno facit, quod foliis ſex elegantibus ſit diſtinctum.

(*) Cui volupe eſt, plures eius modi luſus deridere Franc. Burcardi Leuenbergenſis legat de vna voce Bello venditata crepundia; Ita vero ſonant: Jn Hebr. Sprache wird ihm ein Name gegeben vom fallen/ oder zerſchneiden/ weil im Kriege viele durchs Schwerdts Schärſe fallen/und gleich wie Bäume über einander gefällt und geworfen werden. Oder/ daß alles zerhackt/ zerſtückt/ zerriſſen und zerhauen wird/ und nichts ganz gelaſſen/ noch eines einigen verſchonet/ es ſey ſo lieb/ theuer oder köſtlich als es immer ſeyn kan. Die Griechen nennen ihn vom Verkehren um der plötzlichen Abwechſelung und Veränderung willen/daß ſich das Glück und alea belli wunderbarlich und uhrplötzlich verkehret/jetzt dieſem/ bald einem andern Theile zufällt und jetzt dieſe bald jene Seite hält. Die Lateiniſche Sprache nennet ihn vom guten per antiphraſin, wie man ſpricht/ weil wenig guts im Kriege iſt/alles bunt durch einander gehet/ und alle Tugend/Zucht und Erbarkeit vergeſſen wird. Oder wegen der endlichen Meynungen/daß der Krieg darum fürgenommen/ daß dadurch das Ubel geſtrafft/ billige defenſion oder Schutz und endlich Fried und Sicherheit geſucht wird. Die Teutſchen heiſſen den Krieg von kriegen oder bekommen/ darum daß ein jeder Theil etwas zu kriegen oder zu bekommen ſich befleiſſet/ oder Land und Leute/Gut und Ehre oder ſonſt gute Beute oder auch Streiche und Schläge/darnach es einem jeden gelinget. Haec ex Msto Cod. cui Tit. **Nützliche Erinnerungen vom Kriege.**

ſtinctum. Re ita ſe habente, neſcio quid deriuare ſuſtineam. E. g. κειος, aries, a κειρω, quia muros ſeparat. Κείριον, aridum, quod facile findi poteſt. Conſulas Paſorem vel ligni ſectores. Alſtedii geneſis pari paſſu ambulat. Quis enim primos homines tales ſibi Philoſophos fingat, vt ex vno aut leui adiuncto rei ſtatim nomen impoſuerint, non potius ex pluribus, magisq; convenientibus? ſtipites caudicesque veteres exiſtimem, ſi liliis nomen feciſſent, ex ſplendore, idque ex peregrina lingua petiiſſent. Cur enim ſolem vel ignem hoc nomine fraudaſſent? Quare non a fragore, formaque potius nominarunt? *Virgis* caedendae iſtius generis nugae veniunt, ſed iis, quae *vim gerunt* ligando verberandove, vt Calepino deriuatio a vis, virga placuit. Novum inuentum. Ligatae virgae maiorem vim habent quam ſingulae. Sentiat qui cupit. Simili in cauſſa vocem ερυμα liberatio, propugnaculum Auenarius ac ארמון palatium deducit. Male. Origo eſt a primitiuo verbo ερυω, ſeruo, Praet. Paſſ. ερυμμαι; ſignificatus proprius ſiſtitur ſeruatio, Germanice, Hülfe. ερυω *Erſo*, pronuntiatur, dedit Latinum *ſeruo*, Germanicum, helfen, r in l mutato vt ex λειριον, lilium eſt ortum. Synonyma ſunt ερυμαι, ερυομαι, ερυκω, ερυκανaω, ερυκανω, ερυπτω, ρυω, ρυομαι, ερυκακεω, ερυκακω, αρκεω, ειργω &c. Plura addere iam non lubet. Potius ad eas, quae ſequuntur diſciplinas ordine progrediamur. Ita in dicendi arte tirones diſponere iubent magiſtri, vt loquiamant, ab aliis conſcriptas orationes. Sed vltra crepidam magiſtri ſaepius eſt oratio.

Hem

Hem, inquit, *Diſpoſitio Heroica* eſt, quam non tam imitari, quam mirari debet. Sic qui Ciceronis epiſtolas & orationes ad artis ſuae modum aptant ſecando diſponendoque in improbo labore vereor ne incasſum laborent & arenae ſemina mandent, opus ipſis auctoribus ne cogitatum quidem ſuſcipientes. Quodſi Cicero ad vxorem aut ſeruum ſcribit, quot in vna epiſtola propoſitiones? quas *Amplificationis*, *Confirmationis* titulis ſubiiciunt, & ſic ſuo officio defunctos credunt. In Poeſi τὸ θεῖον hic in cenſum venit, quod non niſi ſonum praetereaque nihil ſonat. Illorum quoque' mos hic pungendus videtur, qui in Carmine pangendo inanes illas *particulas expletorias* adhibent. Qualibus illud Henr. Vagetii Prof. Hemburg. in Alb. Kirchhofium carmen abundat:

Quamquam ſaepe tamen non tantum dedita luxu
Corpora & intempeſtivis languentia coenis
Ante diem triſti videas ſuccumbere fato &c.

Noſtri olim poetae ſuum Thun, Lobeſan, Manniglich &c. velut ſimia foetus ſuos amabant. Sed omnia fere Rhetorices atq; Poeſeos praecepta ad ignorantiae aſyla detruderemus. Igitur noua' ſpectacula exhibemus. En! in ſcenam prodit Hiſtoria. Monſtra lumine caſſa, vitium velamine obducto diſſimulantia perſonam induunt. In originibus gentium rerumque publicarum incunabilis plerique coecutiunt. Origines enim populorum ignorantur. In re deſperata mortalium mireris audaciam. Sed dum expedire ſe cupiunt, mendacia mendaciis cumulant. Graecia priſca Europaea popularibus hiſce er-

roribus foata eſt, ſuoque ingenio & in originibus determinandis abundat. Primos homines ex terra emanaſſe paſſim fingunt. Alii qui aliquid ſapere viſi ſunt, ex *Aegypto* repetunt. Legat, qui cupit ortum vel ab *indigenis* vel ab Aegyptiis pernoſcere tum gentium tum ipſorum ducum, vt pote Sicyoniorum, Pelaſgorum, Argivorum, Lelegum, Peoniorum, Arcadum, Dryopum, Cauconum, Aonum, Mygdonum, Hyantum, Boetiorum, Achaiorum, Aegialei, Phoronei, Inachi, Ogygis &c. vulgatos Graecae Hiſtoriae ſcriptores. Veritatem quamuis ſe nondum inueniſſe ipſi iam odorati ſint; iam enim Aegyptium populum venditant, quem alio loco αυτοχθονα, alibi rurſus Barbarum fuiſſe contendunt. Serpſit haec commentorum lues ad ipſos Iudaeos, quos in Aegyptum ducunt & deducunt, natale ſolum, profani ſcriptores tantum non omnes. Germaniam ſi intuemur, & maiores noſtros partim ab indigenis, partim ab aliis nationibus ortos credunt. Condonandum illis eſt, qui in Scandinauia, Scythia & Sarmathia maiores noſtros inveniunt. Sed qui vel ad Troianum equum vel in Galliam effugiunt, ignorantiam produnt, & aſylum incurrunt. Si Troianum equum conſcendere lubitum eſſet, in quo tamen labore otium iam feciſti nobis, V. S. V. effrenatam equi & qui regunt, ferociam frangere poſſemus. Apta certe Turri Babylonicae moles. Simile huic vero monſtrum quatuor cornibus armatum contemplemur *monarchias quatuor*. Mittimus nunc quibus monarchica iſta chimaera fucum fecit; id tamen ſilentio praeterire piaculum foret, quod Judaei quatuor monar-

monarchiarum initium & finem Iacobo Patriarchae ſcala per ſomnum viſa, valde ſollicito de tanta re, indicatum fuisſe ſomniant. In Imperii noſtri Germanici Hiſtoria mirabilem ſuppeditat doctoribus *interregnum* dicendi copiam & effugiendi libertatem. De origine Electorum, diſtinctionisq; R. G. I. in terras Juris Franconici & in terras Juris Saxonici ambigitur. Ad interregnum nos relegant. In nominum originibus causſisque non minus laborant, ſed falluntur veritatis deſertores. Ad Graecos iterum diuertamus. Hi Aegialeum & Argum primos gentis ſuae reges fingunt, & ſingulos fuiſſe homines ſtatuunt, cum nomina non vnius perſonae ſed totius ſint populi. Αιγιαλος enim littus Graecis vocatur, Aegialenſes, littorales. Αργος Campum ſignificat & Argiui Campeſtres. Vterque Argiuorum & Aegialenſium populus a ſitu regioneque nomen cepit, ex qua deriuatione non pauca in Geographia veteri nomina lucem accipere poſſunt. De fuerunt autem regum nomina, e veſtigio fabricarunt & reges & nomen; Vniuerſas gentes, immo & flumina, vt Inachum, vrbes & neſcio quos reges effinxerunt. De Germaniae, Teutoniae, Celtarum atque Scytharum vocum origine quantum diſceptatum ſit, in vulgus eſt notum. Eruditis nihil vſitatius, quam contentionis ſerram cum quovis reciprocare, de minimis rebus acerrime litigare & ex vno in alterum aſylorum fundum ſe immergere. Pauciſſimos apud eos deprehendi errores ac praeiudicia ſibi quiſque perſuadeat. Fallimur. Quid enim aliud eſt, niſi portum atque perfugium paratum ſibi putare, in ignorantiae periculo, ſiquid

in cauſſa ſit, quaeritur, Cur tanta hodie non oſtentare poſſimus ingenia quanta celebrata reperiamus apud priſcos, quando *naturam* accuſant, nimia priſtini aeui vbertate defatigatam. Columella in libro de re ruſtica primo illos iam reprehendit, qui agrorum ſterilitatem tempeſtati & agri infelicitati ſeu naturae adſcribunt. Non raro accidit, vt ſcripti autor verus lateat. Mirum quantum operae impendant, vt in lucem prodeat. Ita quis autor libri de imitatione Chriſti ſit, inter Benedictinos & Canonicos Regulares, a quibus Jeſuitae ſtant, lis magna orta eſt: Illi Iohanni de Gerſon, hi vero Thomae Kempenſi addicunt. In arenam deſcenderunt Manriquez, Roſweidus, Rosſignolus, Cajetanus, Valgrauius, Fronto, Sirmondus, Petauius, Naudaeus, Werlinus, Quatremarius, Launoius, Carreus, Vanquallius, Marillacius, Denoſius, Delfonius, Teſtelletus. Quanta nomina! attamen falli potuerunt. Decepti ſunt *Codicibus ſcriptis*, editis & ineditis, *traditionibus* vulgique opinione. Quod operae pretium fecerunt? Tempus perdiderunt & fateri nolentes, ignoramus, multa temere effutierunt, ſimulationum inuolucris ſeſe tegentes. Certe quem imitarentur Richelium Purpuratum ſi propoſuiſſent ſibi, qui ſine nomine, haut diu quid faciendum ſit cunctatus, edi iuſſit, melius ſibi conſuluiſſent. *Non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum eruditorum vulgus ſed impetu quodam atque temeritate*, quum ex *nomine*, quo quis impertitus eſt, cum bona tum etiam mala augurantur. Agrippae nomen infauſta portendere Plinius Hiſtoria naturali autumat. Vocarunt autem a

partu

partu infantes Agrippas, quorum in naſcendo non caput ſed pedes primi exiſterent. Romani eo credulitatis progresſi fuerunt, vt pro periculo ex infelici partu iſto auertendo duas Romae aras exſtruxerint, *Poſtuertam* & *Proſam* nominatas, autore Gellio. Quid mirum, ſi miſer Cornelius Agrippa in cenſum iſtum ab Ancillonio referatur, cum vim mali augurii ex nomine ſuo pasſum dicit. Sed bonumj quoque denuntiat nomen. Qualis eſt illa adpellatio Angeli, qua qui gaudent, Crenii iudicio, peculiaribus animi dotibus fuerunt praediti. Non minus inſcitiam produnt, ipſis licet haut fatentibus, qui quum inſolita, quae ſupra vulgi captum, praeſtari a nonnullis vident, aut ex naturalibus hominibus daemones malos & *magos* aut genios bonos, *adeptos* nominant, temere efficiunt. Illorum qui magiae crimine ſuſpecti fuerunt, ſatis numeroſum comitatum ſpectaculo ſiſtit Gabriel Naudaeus in Apologia pro illis. Horum vero cauſſam quis dixerit, niſi ipſi honori ſibi nomen atque opinionem iſtam duxerint, me ignorare fateor. *Theophraſtum Paracelſum* quidem ſi eo numero habeam, in quo vitium in iudicando commisſum ſit, a veritate non alienum iis, qui vitam resque geſtas illius perſpectas habent, ſcripsiſſe videbor. (**) Ad Philoſophos cum pedem

(**) Plura de Paracelſo, ſingularis ac prope incredibilis ingenii viro ex Oporini epiſtola 25 Nov. a. 65. Baſilea ad D. Vienum ſcripta quam nondum editam putamus, adferre liceat. „ Porro, ſcribit, quod ad Theophraſtum Para-

dem profero, quid ſibi velint Metaphyſici cum *Analogia*, cum τῷ θείῳ *animae*, cum *influxu animae in corpus*, cum *ideis innatis* Logici, quid cum *fato* Politici, plane non adparet. Anile & plenum ſuperſtitionis *fati* nomen ipſum Ciceroni de diuinatione videtur. Attamen non raro Prudentiae ciuilis periti ad fatorum arcana in negotiis publicis confugiunt, tam quam ad adyta aſylaque iisque

„Paracelſum attinet, quia iam pridem obiit, non libenter „eius manibus obloquerer. Virum talem expertus ſum, „vt cum tali homine ita vnquam viuere, vt cum ipſo vi„xi, non facile cupiam, adeo praeter mirabilem faciendi „medicinam in omni morborum genere promtitudinem & „felicitatem nullam in eo neque pietatem neque eruditio„nem animaduertere potui. Et mirari non raro ſoleo, cum „tam multa proferri video, quae ab ipſo ſcripta & poſte„ritati ab eo relicta adfirmantur, quorum ego ne ſomni„um quidem vnquam illi obiectum puto, adeo erat totis „noctibus & diebus, dum ego ipſi familiariter per bienni„um ferme conuixi, ebrietati & crapulae deditus, vt vix „unam atque alteram horam eum ſobrium reperire licu„erit; maxime poſtquam Baſilea diſcedens Alſatia inter „nobiles ruſticus & ruſticos nobilis tam quam alter Aeſ„culapius omnibus admirationi fuit, atque interea cum „omnium maxime eſſet ebrius reuerſus domum dictare „mihi aliquid Philoſophiae ſuae ſolebat, quae ita ſibi pul„chre cohaerere videbantur, vt a maxime ſobrio melius „fieri poſſe non viderentur. Ego deinde iisdem in Lati„nam linguam vertendis, vt poteram, vacabam: & ſunt „eiusmodi libelli a me partim ab aliis latine conuerſi, „poſtea editi. Noctu toto, quo ego ipſi conuixi, tempore „nunquam ſe exuit, id quod ego ebrietati adſcribebam ple-

iiſque mutationum ciuilium cauſſas attribuunt. Plato de Republica & Stoici naturales quosdam orbes & fatales rerump. periodos eſſe, ſenioque tandem aliquo potentiſſimas quasque ciuitates conſumi prodiderunt. Sequutus eſt de hac fatorum lege ſententiam Lipſius in Politica. *Romanos*, inquit, *imperare fatum eſt? Hannibal a Cannis Romam non petat. Philippus ſine effectu foedus cum illo ineat, & nauis cum legatis velut caſu capiatur. Caeteri item reges quieſcant, & alii poſt alios vincantur, fatali omnium ignauia.* Sic Lipſius Romanam Fato potentiam ſed Livius veris cauſſis adiudicat, cum *Capuae* inquit, *partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit adverſus omnia humana mala ſaepe ac diu durantem, bonis inexpertum*

„ plerumque quum non niſi ebrius ad extremam noctem „ domum ibat cubitum, atque ita, vt erat indutus, ad„ iuncto ſibi gladio ſuo, quem carnificis cuiusdam iacta„ bat fuiſſe, in ſtratum ſe coniiciebat, & ſaepe media no„ cte ſurgens, per cubiculum nudo gladio ita inſaniebat, „ ita crebris ictibus & pauimentum & parietes impete„ bat, vt ego non ſemel mihi caput amputatum iri metu„ erem. Dies aliquot requirere poſſem, ſi eorum omni„ um quae me apud ipſum paſſum ſcio, facere mentionem „ deberem. Semper habebat ſuam officinam carbonariam „ paratam perpetuis ignibus, ac alcali aliquod, aut ſubli„ matioleum, nunc praecipitati regem, nunc arſenici ole„ um, nunc martis crocum aut opodeldoch mirabile, aut „ neſcio quae brodia coquendo. Mihi certe ſemel cocti„ one ſua ſpiritum vitalem ferme oppreſſit, dum admo„ to, remoto paulum vitro, quod alembico ſubiectum e- rat,

tum atque inſuetum. Itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicae: & eo impenſius, quo auidius ex inſolentia in eas ſe merſerant. Somnus enim & vinum, & epulae & ſcorta, balineaque & otium conſuetudine indies blandius ita eneruauerunt corpora animosque vt magis deinde praeteritae eos victoriae quam praeſentes tutarentur vires, maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannenſi acie protinus ad vrbem Romanam duxisſet. Illa enim cunctatio diſtulisſe modo victoriam videri potuit, hic error vires ademisſe ad vincendum. Pluribus de hoc ad fatales imperiorum periodos effugio Programma quoddam Lipſienſe A. 1666. agit, Relinquamus illis fatum ſuum,

„rat, virulentos illos vapores mihi os ac nares occupare „curauit, & tamen non ſuffocare conatus eſt, adeo, vt „in extaſin elapſus, frigidae aquae non mediocri ſuperfuſione reſtitui opus habuerim. Interea ſe faticinari „quaedam ſimulabat arcanorum quorumdam cognitionem „prae ſe ferebat, vt clam aliquid, de quo ipſum metuerem, non facile adgredi auſus vnquam fuiſſem. Pecuniae erat prodigus profuſor, ac ea ſaepe ita deſtitutus, „vt ne obolum quidem ſupereſſe ſcirem, craſtino ſtatim „rurſum crumenam ſe habere bene inſtructam oſtentabat, vt non raro admiratus fuerim, vnde ea ei fuiſſet „ſuppeditata, Singulis fere menſibus veſtem nouam ſibi „fieri curabat & priorem cuiuis obuio donabat, ſaepe ita „conſpurcatam, vt ego eam mihi nunquam donari petierim, neq; vltro oblatam recepturus, vt geſtarem, fuerim. In curandis vlceribus etiam deploratiſſimis miracula edidit,

ſuum, delicias ſuas. Nobis quidem nihil ſine ratione, licet ſaepius latente, in rerum natura peragi, certisſimum eſt. Quemlibet nos fortunae ſuae fabrum esſe docti ſumus, nec vel ad *fatum* vel ad *fortunae* non magis ludibrium quam fauentem auram rerumpublicarum aeque ac priuati cuiusque vicisſitudines referimus, *annos climactericos* minores, maiores, nihili putamus, nullum *diem* neque carbone neque creta notamus. In ignorantiae aſylis locum his esſe cenſemus, quae tam frugifera fructuoſaque ſunt, vt non abs re dixisſe videamur, ſi artes quasdam ipſas atque doctrinas incunabula non minus quam incrementa ab his cepisſe iudicemus. Ex hoc enim velut impurae aquae fonte *harioli*, *augures*, *aruſpices aſtrologique*, ambigui ſenſus reſponſa, *oracula*

„ edidit, nulla ratione victus praeſcripta & obſeruata, ſed „ cum patientibus ſuis dies ac noctes potando, ita eos tamen pleno, (vt ſolebat dicere) ventre curavit. Praecipitato puluere Theriaca aut Mithridato aut ceraſorum „ ſiue botrorum ſucco in pillulas redacto in omni morborum genere purgando vtebatur. Laudano ſuo (ita vocabat pillulas inſtar murium ſtercoris, quas impari ſemper numero, in extrema tantum morborum difficultate „ tamquam ſacram medicinam adhibebat) ita gloriabatur, vt non dubitaret, adfirmare eius ſolius vſu e mortuis viuos reddere posſe, idque aliquoties, dum apud „ eum fui, reipſa declarauit. Orare nunquam neque audiui neque vidi, neque curabat etiam eccleſiaſtica ſacra, ſed doctrina euangelica, quae tum apud nos ex„ coli incipiebat, & a noſtris concionatoribus ſerio vrgebatur,

cula obſcura & flexiloqua, *omina*, *prodigia*, *vaticiniaque* hauſerunt ſua. Quid? quod totam *Aſtrologiam* hinc enatam, hinc fluxiſſe adparet. Primi enim mortalium quum neſcirent, quaenam aſtrorum ratio, quis vſus & finis, nubem pro Junone amplexi, *aſtra diuinis animata mentibus* pro Diis coluerunt, rerumque terreſtrium gubernationem inque hominum actiones influxum iis adſcripſerunt, quae qui intelligeret, quid cuique hominum euentum ſit, quo quis fato natus, non ignorare poſſe. *Omnis enim cognitio erat & eſt multis obſtructa difficultatibus, maximaque & in ipſis rebus obſcuritas & in iudiciis noſtris*

„batur, non multum curata; ſe etiam aliquando Luthe„rum & Papam non minus, quam nunc Galenum in or„dinem redacturum minabatur. Neque enim eorum, „qui hactenus in ſcripturam ſacram ſcripſiſſent, ſiue ve„teres ſiue recentiores, quemquam ſcripturae nucleum „recte eruiſſe, ſed circa corticem tantum & quaſi vm„bram haerere. Et neſcio quae alia nugabatur, quo„rum me meminiſſe piget. Haec enim obiter, qualia „in pennam inciderent, ad te ſcribere libuit, vt aliquid „ſcriberem, alias, cum plus erit otii, plura ſcribam. „Mulierum curam nullam habuit, vt hinc colligam, „nullam ſibi cum eis rem fuiſſe. Initio abſtemius fuit, „vsque ad aetatis annum fere 26. Deinde ita vinum „bibere didicit, vt totas menſas ruſticis plenas propinan„do prouocare & ſuperare bibendo auſus fuerit, digito „tantum gulae immiſſo, crapula ſeſe liberans, & rur„ſum tanquam ne guttam quidem hauſiſſet, potionibus „indulgens &c.

noſtris infirmitas & omnibus innata curioſitas. Hinc illæ lacrumae, hinc illi iudicii lapſus. Quem noſtrum fugit, in *cometarum auroraeque borealis* aliorumque phaenomenorum rationibus explorandis quam laborarint homines, in quae viſa inciderint, quanta bella ſomniauerint, quas calamitates praeuiderint, quas morborum lues metuerint, peſtes principibusque mortes ominati ſint. Non audiendus itaque eſt Detleuius Cluuer in Geologia certam quandam traditionem aſtrologiae dedisſe anſam exiſtimans, quum diluuium, orbisq; per ignem deſtructionem certis inniti corporum coeleſtium coniunctionibus iam viderint mortalium primi, quas vt pernoſcerent, aſtrorum ſcientiae ſtuduisſe: Neque etiam qui idololatriam probabilem adferunt causſam, fidem merentur. Sicut autem mater Philoſophiae admiratio ignorantiae filia habetur: ita non mirum, neptem hanc ignorantiae, auiae ſuae nonnunquam obſecundare eiusque ad nutum componi. Dedimus, quae documento ſint, huius in originis ſuae naturalis amoris teſtimonia. Quamuis non omnia a nobis hic abſoluta eſſe facile largiamur. Neq; enim nos praeterit, rerum naturalium atque artificialium effectores, *genios, qualitates & vires occultas, animas vegetatiuas, plaſticas & muſicas, daemones cum ſpectris, ſpiritum archaeum, antipathiam & ſympathiam, artesque magicas, ſcholaſticorum diſtinctiones & abſtractiones*, aliaque phantasmata multa locum hic inuenire: Condonandum tamen hoc esſe cum feſtinationi noſtrae, tum etiam ſcribendi generi putamus. Vtrumque in causſa fuit, quo minus

minus de aſylis, quae in Medicis latent, in Juris Conſultis regnant, in Theologis reſident, quaeque miſerrimum populum faſcinant, credulum vulgus infatuant, quibusve inſcitiam velant atque inuoluunt integumentis, quicquam memoriae hic prodere potuerimus. Quod quidem, quantum per otium licebit, fieri poſſe non diffitemur. Ad *Te* nunc, vnde diuerterat oratio, *Vir ſumme Venerabilis*, reuertendum mihi eſt. *Tu* quidem, qui toto animo in eam curam vsque quaque incubuiſti, vt denſam atque obſcuram diſciplinis obductam caliginem ſtrenue diſcuteres, ſoſpes atque incolumis, in veritatis lucem, reipublicae aeque ac Chriſtianae commodum, diu diuque ſuperſis, iterum precor. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Magnificentiae Tuae

Dab.
Wolfenbuttelae
d. XV. Nov. 1736.

cultor obſervantisſimus
J. A. Ballenſtedt.

Digitized by Google

Digitized by Google